Paulus episcopus servus servorum dei ad perpetuam rei memoriam

In suprema iustitie sede meritis licet insufficientibus disponente domino constituti sicut delinquentium iniquitates opportunis remediis coercere satagimus ita fidelium quorumlibet presertim nobis et Romane ecclesie
[illegible] et [illegible] libenter consulimus prout in domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Universitatis et hominum terre Montissancti Firmane diocesis
nobis nuper exhibita petitio continebat quod quamvis ipsi nullo umquam dilectis filiis Communitati et hominibus Civitatis nostre Firmane subiecti existerent nullamque eis obedientiam fidelitatem aut reverentiam prestare tenerentur nichilominus
exactis huiusque temporibus ac tanto tempore quod forsan memoria hominum in contrarium non existit eorum potentia inducti quoddam pallium seu illius extimationem decem libras denariorum monete illarum partium non excedentem in festo
assumptionis beate Marie virginis Communitati predicte seu illius Cathedrali ecclesie in signum subiectionis fidelitatis et obedientie singulis annis solvere consueverunt et cum tempore felicis recordationis Alexandri pape vi predecessoris nostri
ab huiusmodi solutione per aliquot annos desistissent dictaque Communitas Firmana contra eosdem Universitatem et homines via iuris experiri ipsosque ad huiusmodi solutionem faciendam de iure compellere non posset cum nullo desuper iusto aut
legitimo titulo suffulta existeret ferro subiugare eos dicendo nonnullos ex principalioribus dicte terre occidi ac trucidari procuravit Unde Universitas et homines prefati probabiliter timentes ne propter adversariorum poten
tiam aliquod deterius in dies contra personas vel eorum bona succederet meticulose inducti in signum dicte subiectionis et obedientie pallium seu extimationem huiusmodi communitati predicte iterum solvere inceperunt
hactenusque persolverunt prout etiam solvunt de presenti. Et licet nuper separatione facta Comitatus a dicta Civitate Firmana ipsaque suis exigentibus demeritis illius statu et Comitatu ac omnibus gratiis privilegiis
indultis immunitatibus iurisdictionibus adherentiis et coherentiis sibi concessis per nos privata et spoliata dicta Universitas omni subiectione adherentia obedientia vel reverentia liberata exempta et absoluta
esse credatur nichilominus quia Universitas et homines prefati prout eadem petitio subiungebat cupiunt pro exemptionis absolutionis et liberationis huiusmodi subsistentia firmiori ac ne in futurum de illius
viribus dubitari contingat in vim particularis concessionis indulti vel privilegii specialiter eis concedi et indulgeri nobis humiliter supplicari fecerunt quatenus super hoc eis opportune providere de benignitate
apostolica dignaremur. Nos igitur eos et eorum quemlibet gratioso favore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et penis a iure vel ab homine
quavis occasione vel causa latis si quibus quomodolibet innodati existunt ad effectum presentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes eorum in hac parte supplicationibus inclinati
ipsos et eorum quemlibet tam in universali quam in particulari ab omni subiectione obedientia reverentia vel fidelitate ac onere solvendi pallium seu illius extimationem huiusmodi de novo quatenus opus sit sine
preiudicio tamen dicte ecclesie [illegible] absolvimus eximimus et totaliter liberamus ac sub [illegible] et beati Petri protectione suscipimus ac eos absolutos exemptos ac totaliter liberatos et sub protectione predicta
susceptos fore itaque in futurum ad aliquam obedientiam reverentiam seu fidelitatem dicte Communitati prestandam seu pallii vel extimationis illius solutionem huiusmodi faciendam non teneantur sed per Legatum
eiusdem provincie pro tempore illiusque Vicelegatum aut Gubernatorem regi et gubernari debeant et si contingat Firmanam Communitatem predictam adversus privationem per nos factam huiusmodi ullo umquam tempore
etiam per nos et alios Romanos Pontifices pro tempore existentes restitui ac plenarie reintegrari restitutionem et reintegrationem predictas sub quavis verborum forma et cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis et aliis
quantumcumque efficacissimis clausulis fiat sine preiudicio eorum factas esse censeri ipsosque ab eis semper exceptos fuisse et esse et propterea dicte Communitati Firmane obedientiam reverentiam aut subiectionem aliquam non debere
sicque per quoscumque tam ordinaria quam delegata et mixta auctoritate fungentes iudices et personas ubique iudicari cognosci et decidi debere sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi cognoscendi aut decidendi facultate necnon
irritum et inane quicquid secus super hiis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari decernimus per presentes. Et nichilominus pro tempore existenti eiusdem Provincie Legato ac Gubernatori etiam
pro tempore ecclesie Lauretane vel eorum alteri per presentes mandamus quatenus per se vel alium seu alios auctoritate nostra faciant presentes litteras et in eis contenta quecumque plenum effectum sortiri atque ab omnibus inviolabiliter observari
illisque omnes et singulos quos quomodolibet concernunt pacifice frui et gaudere nec permittant quenquam desuper molestari impediri aut inquietari. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo. Non obstan
tibus felicis recordationis Bonifacii pape viii etiam predecessoris nostri de una et in Concilio generali de duabus dietis dummodo ultra tres aucte presentium quis non trahatur et aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis statutis quoque
et consuetudinibus dicte Civitatis etiam iuramento confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis privilegiis quoque et indultis ac litteris apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis quomodolibet
concessis approbatis et innovatis quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua mentio seu quevis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma servanda
esset tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nichil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent presentibus pro sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter et expresse
derogamus ceterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre absolutionis exemptionis liberationis susceptionis decreti mandati et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Siquis
autem hoc attemptare presumpserit indignationem omnipotentis dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud Sanctumpetrum Anno Incarnationis dominice
Millesimoquingentesimo [illegible] Octavo [illegible] Pontificatus nostri Anno Quarto.

Firmana

Ju. Cordellas

R

M D XXXVIIJ XI indictione temporis Pontificatus S.mi in xpo Patris et dni nri dni Pauli divina favente clementia Pape iij die vero xij sett.bris

Coram Mag.co V. I. Doc. dno Joanne de … de Gualdo Provincie Marchie Ancon. pro R.mo D. vicelegato Locumtenente existente in Palatio mag.ce Civitatis Macerate soliti residentie R.mi … ab eximio Jurisperito dno Leonardo Mancinello de Macerata … Terre M.tis … exhibite et presentate fuerunt he litterae petentes ipsas recipi admitti Registrari in libris Cam.re restitui fieri et observari prout in eis continetur omnimelioris modo

Qui mag.cus dns Joanes Locumtenens admisit registrari observari et restitui mandavit presentibus ser Nicolao blancho de montesphano et Luca … de Macerata testibus ad hec vocatis &.

Et ego Franc.s Angelus notarius pro Cam.ra Ap.ca rogatus

R.ta R.tro bullarum et brevium S. D. N. Pauli iij folio 112